



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sucquet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ**

**Sucquet, Antoine**

**Antverpiae, 1630**

Cap. 53. de affectu admirationis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

num sinapis, ut glorificem te Patrem meum, sicut illi Sancti tui Martyres & Thaumaturgi.

Marc. 9. Si omnia passibilia sunt credenti, credo Domine hac N. gratia tua,  
Iacob. 2. & sic ex operibus per gratiam tuam cupio ostendere fidem meam.

Sap. 3. O quanti est apud te Domine meritò vera & viva fides: da mihi  
fidei donum electum, & sortem in templo tuo acceptissimam.

Luc. 17. O quando audiam fides tua te saluum fecit: quanto & tibi plene  
Ioan. 3. resignatum erit cor meum, ut credens in te habeam vitam æternam!

Galat. 5. Domine Iesu Christe Paulus tuus ait, neque circumcisio aliquid  
valet, neque præputium, sed fides que per charitatem operatur. Credo  
igitur, & amo toto corde, & adhaereo tibi o æterna veritas, tota anima  
mea.

## CAPVT LIII.

De affectu Admirationis & modo eum exercendi.

**E**XCITARI hic solet ex consideratione perfectio-  
num diuinarum & mysteriorum Fidei.

Secundò ex consideratione peccati, miserix & vani-  
tatis humanæ. Hæc enim duo, dum tibi opposita confi-  
derantur, velut abyssum abyssus invocat.

Tertio Creaturarum liber magnam materiam admi-  
rationi præbet.

Quartò beneficiorum Dei copia ergà nos, & maxi-  
mè Passionis Christi Domini; si enim Regina Saba vi-  
dens sapientiam Salomonis, non habebat ultra spiri-  
tum, quid faciat anima quæ videt vitam pro se morien-  
tem? nota autem omninò conuenire, ut ex unâ admi-  
rationis causa oblata, ingrediatur anima in potentias  
Domini, & progrediatur ad alia admirabilia eius.

Exercitium breuius Admirationis.

Psal. iii. **Q**UIS sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, &  
humilia respicit in celo & in terrâ? O quanta Majestas! o  
quanta benitas, quanta potentia! O quanta benignitas erga me,  
qui verè sum vermis & non homo, & vapor & nihil. Quicquid  
video vel audio, magnificentiam sanctitatis tuæ loquitur mihi,  
& narrat mirabilia tua. Verè exclamat Apostolus Deum divi-  
tem in misericordia, & nimia charitatis, qui cum essemus mor-  
tuis

tui peccatis, vivificavit nos in Christo, ut ostenderet seculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo J. S. V. Verè, verè apparet benignitas infinita & in iis pondus, numerus, & mensura, & humanitas tua, Salvator mi, & nota tibi egestas mea, medico anima mea infirmitas mea. Sufficit ut noveris. An enim amas & desereres: exaltare super calos Psalm. 59. Deus meus, & super omnem terram gloria tua. Confitebor tibi, Domine, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & Psalm. 138. anima mea cognoscet nimis, consideravi enim ea & expavi, sed super omnia supereminentem charitatem tuam, propter quam Abac. 1. diligo te super omnia, & in aeternitate diligam te quando eris mihi omnia in omnibus. Amen.

## Exercitium Affectus Admirationis.

**M**IRABILIA judicia tua Domine, idè scrutata est ea anima mea. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis. Magnus enim es Domine, & laudabilis nimis, & magnitudinis tuae non est finis. Generatio, & generatio laudabit opera tua. & potentiam tuam pronuntiabunt, magnificentiam gloriae sanctuaris tuae loquentur & mirabilia tua narrabunt, & virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt, memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt, & iustitiam tuam exultabunt. O Domine Deus meus verè magnificus es vehementer. quid ergo ego pusillus pulvis, & cinis in Oceano isto bonitatis tuae ingrediârne, & introibo in potentias tuas? Nonne scrutator majestatis opprimetur à gloriâ? Verumtamen ego in humilitate, & sinceritate cordis mei considerabo mirabilia de lege tuâ. Quam enim bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde! quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timenibus te!

Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universâ terrâ! Deus in Sancto via tua. Quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia: Confitebor ergo tibi Domine quia terribiliter magnificatus es. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet ea. Tui enim sunt caeli, & tua est terra, orbem terrae, & plenitudinem ejus tu fundasti, aquilonem & mare

Pfalm. 103.  
Pfalm. 91.  
Pfalm. 118.

Pfal. 83.  
Iob. 11.

Creaturæ  
nobis de  
Deo lo-  
quuntur.  
Iob. 12.

Iob. 16.

*Et mare tu creasti, tu fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in saculum seculi. Tuus est dies, & tua est nox, tu fabricatus es auroram, & solem, & ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi. Omnis ergo terra adoret te, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo. Sed quis vestigia tua comprehendet? excelsior, inquit ille, calo est, quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terrâ mensura eius, & latior mari: si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei? ipse enim novit hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nonne considerat? Nimirum interroga, iumenta, & docebunt te, & volatilia cali, & indicabunt tibi. Inquire terra, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit, in cuius manu anima omnis viventis & spiritus universe carnis hominis. apud ipsum est fortitudo, & sapientia: ipse habet consilium, & intelligentiam. si destruxerit, nemo est qui adificet; si incluserit hominem, nemo est qui aperiat, si continuerit aquas, omnia siccabuntur; & si emiserit eas, subvertent terram: apud ipsum est fortitudo, & sapientia, ipse novit & decipientem, & eum qui decipitur, adducit consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem. Baltheum Regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum. Ducit Sacerdotes inglorios, & optimates supplantat, commutat labium veracium, & doctrinam senum auferens. Effundit despectionem super Principes, eos qui oppressi fuerant, relevans, qui revelat profunda de tenebris, & producit in lucem umbram mortis. qui multiplicat gentes, & perdit eas, & subversas integrum restituit: qui immutat cor Principum populi terra, & decipit eos, ut frustra incedant per invium. Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios. Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis. Nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni. qui extendit, Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum: qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum. Qui tenet vultum solis sui, & expandit super illud nebulam suam. Terminum circumdedit aquis, usque dum firmantur lux, & tenebra, columna cali contremiscunt, & pavent*

ad nutum ejus, in fortitudine illius repente maria congregata sunt, & prudentia ejus percussit superbum: spiritus ejus ornavit calos, & obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus. Ecce hac ex parte dicta sunt viarum ejus, & cum vix parvam stillam sermonis ejus audiverimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? Sic vir ille simplex; & rectus magnitudinem tuam narrat nobis, & quis non obstupescet ad haec magna tua? Magis tamen ac longè magis, si consideret magnitudinem tuam simul, & quàm parvus sis factus pro nobis. ô infinita & incomprehensibilis bonitas Deus meus, tu qui aeternus es, natus es in tempore, & Rex saeculorum immortalis, & invisibilis, factus es puer unius diei super terram visibilis, & mortalis, & paulò minus es minoratus ab Angelis, imò factus es sicut colonus in terrâ, & sicut viator declinans ad manendum. & eheu! in propria venisti, & venis, & tui te non susceperunt, nec suscipiunt, & tamen venisti in propria Rex regum, & Dominus dominantium. Venisti, & venis quotidie in cor meum; ut videas si floreat mala, & fructus parturiunt: utinam te dignè suscipere possim, quando tu immense Deus magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu dignaris ad me venire, & sic exemplo tuo, & sanctissimâ doctrinâ tuâ erudire. ô ineffabilis Deus; qualis est hac memoria mirabilium tuorum! ô verax Deus; quanta est abyssus bonitatis, & sapientiae tuae! utinam sicut tu verax es, ita & ego veritatem amem, & cognoscam nihilum meum! utinam amem bonitatem tuam. Et ostendas mihi omne bonum, & detester omne malum! utinam nihil pulcrum videatur, quod abducatur abs te. tu enim confessionem, & decorem induisti. Utinam nihil admirer nisi te unum, cujus mirabilia opera sunt, & ineffabilia. quidquid hic mortale sese ingerit oculis meis, contemno illud præ te vita mea. ut cor meum & caro mea exultent in te Deum vivum. tu enim sapientissimus, & attingis à fine ad finem fortiter, & omnia in numero, pondere, & mensura disponis, & tribus digitis appendis molem terræ. tu omnium artifex ô æterna sapientia, tua igitur consilia, tuam viam sequar, & non ambulabo in tenebris. Tu enim mihi lux es, tu illuminator meus. tu revelas profunda. tu denique diligis omnia quæ sunt, & nihil

Isaia 19.

1. Tim. 1.

Psal. 8.

Hebr. 2.

Jerem. 14.

 Applicatio  
ad Com-  
munionē.

Jerem. 31.

Psal. 107.

Psal. 83.

Sap. 11.

Isaia 10.

Sap. 7.

1. Ioan. 1.

Prover. 28.

Dan. 2.

*Osca 2.* & nihil odisti eorum quae fecisti quomodo igitur non diligam te Deus meus, fortitudo mea, quando sponsabis me tibi in iustitia, & iudicio, & misericordia. Utinam magne Deus zelotes, Deus amator nullius alterius rei amor occupet cor meum, sed toto corde tibi adhaeream & in pace in idipsum (quoniam tu Princeps es, & Auctor pacis) dormiam & requiescam. Amen.

## JACVLATORIÆ.

- Pfalm. 143. **D**omine, quid est homo, quia sic N. verè innotuisti ei, aut filius Iacobi 4. hominis, quia reputas eum? Ecce enim ventus est vita nostra, & vapor ad modicum parens.
- Pfalm. 112. Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in celo & in terra? Ecce cor contritum & humiliatum, O. Is. su respice in me.
- Roman. 11. O Altitudo divitiarum sapientia & scientia Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius & investigabiles viae eius.
- Pfalm. 118. O Sapientia aeterna, da mihi intellectum, & scrutabor mirabilia de lege tua, sine te enim nil possum facere.
- Pfalm. 70. Obsecro te per charitatem tuam, ut considerem mirabilia, & memorer iustitiae tuae solius.
- Pfalm. 16. Non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum custodi vias nostras.
- Pfalm. 8. O Domine Dominus noster, quam admirabile est hic nomen tuum & in uniuersa terra.
- Pfal. 88. Tui sunt caeli, & tua est terra, & in manu tua omnes fines terrae, fac de me beneplacitum tuum.
- Galat. 2. Vivo ego jam non ego. vivis vero in me Christus Iesus, & ego tibi, Deus cordis mei & omnia.

## CAPVT LIV.

*De affectu Compassionis & modo eum exercendi.*

**H**ic exerceri potest, & debet potissimum in Meditatione Passionis Domini, etiam si in variis locis vitae Christi Domini, idem etiam sit locus. & quoties consideramus quantis injuriis à peccato ribusa fficiatur. pro hac Primò considera quis patiatur.

Secundò, quo pacto hæc in te sentire debeas, utpote patienti amore, cognatione, & aliis infinitis titulis conjuncto.

Tertio,